Quam mitis Iudex Christo facilisque fuisti,
Quum, te, proh! periit, violento judice Christus!
Sed scelus ecce! novum, scelere ah! immaniq omni:
Clamor enim populi summas se tollit in auras:
Ferte citi Lignum, date vincla, educite vinctum.
Hinc Christus, diâ qui Majestate coruscat,
Ducitur ad loca supplicii, cui Golgata nomen.
Mox crucis moerentem Iudaei imponere molem
Audent, noster Amor verè ut miserabilis esset.
Hunc gemini fures comitantur; caetera turba
Subsequitur; Matres, Pueri, innuptaeque puellae
Foemineum clamorem ad coeli sidera tollunt;
Praetereà volitant circum populique gementes,
ceu quondam in pratis, ubi apes aestate serenâ
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Eloquar an sileam? Nam postquam emensus IESUS
Mortis iter fuerat, Dux vitae, nostraque Vita,
Hunc celso properant Iudaei affigere ligno.
Heic humeris prorsus nudatum et vertice corpus
Affigunt, palmas transverso è stipite ligni
Extendunt, foduntque manus quae sanguine sparsae,
Neque pedes audent clavo penetrare trabali:
Ictu membra supina terunt, et corporis artus:
Ingentem sonitum ferro dant robora adacto:
Golgata mons fremitu resonat stridoreque magno.
Quin supra caput et Patriam, cum nomine scribunt,
Et mortis caussas, quod Rex sit natus IUDAE:
Et tandem Lignum in vacuas attollitur auras:
Sicque cruci pendet clavis affixus IESUS.
Hoc coelum, mare, Terra, simul miratur et horret;
Ipsa parens Natura gemit, quum cernit IESUM
Affixum ligno; rutilantis Lumina Phoebi
Pallent labentes annos ducentia olympo:
Sub mare caeruleum verè conterrita cedit
Cornibus obtusis nocturna forma Diana
Nimboso et longè latitans expalluit ore:
Pectora sola hominum (dolor ah!) caligine coecâ
Pressa manent, veluti scabra rubigine ferrum.

Tantae molis erat Christianam condere gentem.

Sigismund Herbbus.
Hirschberga-Siles.